



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Constitutiones Et Decreta Apostolica

Coloniæ Agrippinæ, 1679

Alexandri VII. Decretum de sufficientia Attritionis ex metu gehennæ, & de neceſſitate aliqualis dilectionis ad Sufficientiam Attritionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42459

ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me
Carolum Melanum, ejusdem Sanctiss. D. N.
Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VII.
Decretum, quo vetat censurâ Notari sententiam de sufficientiâ attritionis ex metu
gehennæ, alteramque de necessitate aliqua-
lis dilectionis ad sufficientiam attritionis.

FERIA V. DIE V. MAII M. DC. LXVII.

S. D. N. ALEXANDER Papa VII. cum
acceperit non sine gravi animi mærore
Scholasticos quosdam acriùs, nec absque
fidelium scandalo inter se contendere, an illa
Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ ex-
cludens voluntatem peccandi cum spe veniæ,
ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœ-
nitentiæ requirat insuper aliquem actum dile-
ctionis Dei, afferentibus quibusdam, negantibus
aliis, & invicem adversam sententiam censu-
rantibus. Sanctitas sua enixè cupiens pacis vin-
culum inter fideles servari, omnemque scissuræ
fomitem extinguere, auditis votis Eminentissi-
morum ac Reverendissimorum DD. Cardi-
nalium adversus hæreticam pravitatem gene-
ralium Inquisitorum, nec non Dominorum
Consultorum, & Qualificatorum sacræ Con-

G

gre-

gregationis ejusdem generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ & sub poena excommunicationis latæ sententiæ huic Sanctæ Sedi reservatæ , aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus quocumque gradu , ac dignitate etiam Episcopali , & majori , imo , & Cardinalitiâ fulgentibus , ut si deinceps de materiâ Attritionis præfatæ scribent , vel libros , aut scripturas edent , vel docebunt , vel prædicabunt , vel alio quovis modo pœnitentes , aut Scholares , cæterosve erudient , non audeant alicuius Theologica censuræ , alteriusve injuriæ , aut contumeliam notâ taxare alteram sententiam , sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta , quæ hodie inter Scholasticos communior videtur , sive afferentem dictæ dilectionis necessitatem , donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc , seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe , & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique existentes arctare , & afficere , ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Franciscus Riccardus Sanctæ
Romanae & Universalis
Inquisitionis Notarius.

Locus  Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. J E S U - C H R I S T I
1667. indictione quinta, Die vero 7. Maii :
Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Pa-
tris & D. N. D. ALEXANDRI divinâ provi-
dentiâ Papæ VII. anno decimo tertio , supra-
dictum Decretum affixum & publicatum fuit
ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum &
in acie Campi Floræ , ac in aliis locis solitis &
consuetis urbis , per me Carolum Melanum ejus-
dem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctiss. Inqui-
sitionis Cursorem.

S. D. N.

CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ IX.
Censura contra Librum Vulgo
dictum , Rituel d'Alet.

C L E M E N S
P A P A I X .

Ad Futuram rei memoriam.

Creditæ Nobis divinitùs omnium Eccle-
siarum sollicitudinis ratio exigit , ut
ecclesiasticæ disciplinæ , cuius Custo-
des à Domino constituti sumus , ubique con-
servandæ jugiter incumbentes , omni cura ,
atque vigilantia præcavere studeamus , ne quid

G 2.

in